SCIPII GENTILIS
Solymeidos

5

LIBRI DVO PRIORES

DE

TORQVATI TASSI

Italicis expreſsi.

K

LONDINI
Apud Iohannem Wolfium
1584.

BRITISH MUSEUM

DE TASSO.

MVtis abditus, ac nigris tenebris,
In quas præcipitem dedêre cæci
Infans Lydius, Antiique Diua,
Britannos tamen vltimos & Indos
Torquatus Solymis ciet Camœnis,
Et liber volat aureæ per orbem
Gloriæ ſibi remigante pennæ.
Omnes vicerat hactenus poetas
Thuſcos, Auſonioſque, Doricoſque:
Ipſas nunc tenebras, Deoſque vincit.

S. G.

POETIS ITALIS.

Haec ego Tyrrhenis nuper modò cognita Muſis
Vrbi Quiritum carmina
Induxi: licet vrbe procul ſeptem arua Trionis
Picenus hoſpes accolam.
Hìc vbi fert niueos Tameſis ſub cærula cycnos
Thoriſque paſcit herbidis
Riparum, atque nouum pelagi lauit Ilion æſtu
Fontem refuſus ad ſuum.
Et mea me quamuis terreret quattuor ætas
Luſtris adulta lubricis:
Quamuis Cæſareæ ſtudia in contraria leges
Pectus vocarent tunc meum.
Ipſe tamen monitis iſthæc aggreſſus amicis
Patriſque chari iuſſibus,
Parua quidem, verum & paucis ſub lumina vitæ
Excluſa ſolibus fero.
At vos, Italiæ ſacras qui vatibus auras
Cœlo beato carpitis,
Hunc precor externas vatem deferte per oras
Canis loquendum ſæculis:
Quem Maro, ab Elyſia ſurgat ſi valle, Latinis
Donaret auribus libens.

SCIPII GENTILIS
SOLYMEIDOS
LIBER PRIMVS.

ARma ducemque cano, Solymæ qui primus in oris
Æterni tumulum regis, monimentaque fecit
Libera: multum ille & dextra molitus, & arte:
Multa quoque & magni passus sub pondere facti.
Obstitit hîc horrens frustra Cocytus, & omnis
Mixta Asiæ, Libyæque manus: namque optimus illi
Fauit, & incerta socios regione vagantes
Sancta suos, hominum genitor, sub signa coēgit.
O tu, quæ falsis non vnquam Heliconis in antris
Aurea labenti circumdas tempora lauro:
Sed cœlo in magno choreis immixta beatis
Siderea frontem fulges innexa coronâ
Æternum: tu Musa meæ nunc influe menti,
Tu liquidam indulge vocem: tuque optima Virgo
Da mihi, da veniam facilis, si vera nitenti
Ornatu intexam fingens, alysque pererrans
Delitijs spargam, atque tuis. nam sensibus omnes
Scis homines, scis Diua illuc illabier imis,
Blandus vbi plures fundat per dicta lepores
Parnassus, mollique insperſum carmine verum
Allexisse sui fugiens se vulgus amore.
Vt, dare cum puero latices conantur amaros
Absyntbi, flauo contingunt pocula circum

Oras melle prius. tætrum bibit ille liquorem
Interea, & tali deceptus fraude valescit.
Tuque adeo præstans animis ALFONSE, furentis
Qui me Fortunæ dilatum subtrahis orbi:
Qui placidos aperis portus mihi, dum vagus alto
Errarem, & scopulos inter iactarer, & vndas
Pene haustus. tibi quas voto ceu supplice quondam
Sacraui, læto chartas en accipe vultu.
Forsan tempus erit, tua cum facta inclyta bello
Quæ nunc attigerim tantum, maioribus ausim
Auspicijs veri præsaga condere lingua.
Atque equidem merito fiet (si tempore gentem
Vllo hominum regis florentem pace videri
Contingat: ratibusque & equis adnixa superbis
Immiti studeat prædam diuellere Thraci
Iniustam, ingentem) vt terræ tibi sceptra, vel alti
Si velis, imperium cedat maris. ergo age nostris
Carminibus vacuas præbe nunc æmulus aures
Gofredi, & bellis nunc primum assuesce futuris.
Iam sextum referens annum se Mundus agebat,
Hesperius postquam summis conatibus instans
Appulit Eois per pontum exercitus oris.
Iamque manu Nicæam Asiæ, centumque potentem
Antiochi, furtum belli, cum turribus vrbem
Ceperat: atque vna Persarum hîc cæde phalanges
Strauerat innumeras victor, domitamque premebat
Antadaron, placidique dehinc noua tempora veris
Spectabat. Ver pæne aderat, pluuioſaque brumæ

Nubila deſierant armis afferre quietem:
Cum pater æternus ſolio, quod parte refulget
Lucidiore poli, & quantum ſuper intima Ditis
Atria ſiderei ſurgunt templa aurea cœli:
Tantum illud celſis extat ſublimius aſtris:
Omnia prona ſimul vidit, quæ maximus orbis
Continet, & Syriæ defixit lumina terris.
Atque hic Europæ proceres adſpexit, & illo
Quo curas hominum viſu ſpeculatur opacas,
Gofredum intuitus ſancta de ſede Tirannos
Deijcere, & Solymæ regno telluris auentem:
Immotaque fide, ac diuino numine plenum
Nil mortale ſuo verſare in pectore ſenſit:
Non ſceptris, non illum opibus, nec honore moueri.
Contra autem humanis intentum faſtibus eſſe
Baldoinum videt, ac populis inhiare ſubactis.
Inuiſaſque ſibi Tancreden luminis auras
Ducere. ſic vani ſtimulis agitatur amoris.
At Calabrûm qui vrbes, & Iapygis arua regebat
Boemundus, dictæ Antiochi de nomine gentis
Alta nouo cernit moliri exordia regno.
Hìc leges, ſanctiſque bonas cum moribus artes
Inſtituit, veri cultus hic Numinis optat
Inſerere: hac hæret cura defixus in vna.
Cernit & ingentis bello feruere Rinalti
Ingenium, ſegnemque animos odiſſe quietem.
Non illum imperio, non illum ducier auro,
Sed laudum ardenti vaſtaque cupidine ferri

Conſpicit: & Guelfi totum dicentis ab ore
Pendere, ac veterum legere hinc exempla parentum.
Verum vbi iam cunctos hominum Rex altus Olympi
Peruidit cæca merſos caligine ſenſus:
Tunc vnum aligeri ſplendenti ex agminis ora
Adſeſe vocat, in primis qui pluribus ibat
Alter. quique animas inter meliora ſequentes
Nuntius atque Deum, cœli decreta ſub auras
Fert gratus, cœloque refert mortalia vota,
Vota, preceſque pias, & puri pectoris ignem.
Huic Deus. o animi interpres fidiſſime noſtri
Vade age, Gofredo Syrijs mea maxima regnis
Dicta fer, & iuſſis cunctantem mollibus imple.
Nam quæ tanta mora eſt? quid tempus bella ſub iſtud
Arcibus auxilium Solymis latura reſidunt?
Cogat concilio proceres, tantoque ſedentes
Excitet inſtigans operi, quo ſummus in aſtris
Ecce meis ductor legitur mihi: mox quoque terris
Ingenti clamore virûm, plauſuque legetur.
Dixerat. ille Dei imperio parere parabat.
Et prius inuiſam multo nunc aëre formam
Veſtit agens circum, atque oculis mortalibus aptam
Reddit: & humanos artus, humanaque fingens
Lumina purpureo diuûm ſimul afflat honore.
Ac medius iuuenemque inter, puerumque locatus
Exornat flauos radianti vertice crines.
Tum demum longas humeris fulgentibus alas
Induit, immenſum celeres, quas candida texit

Pluma:

Pluma: ſed extremas ambit color aureus oras.
Quæ ſublimem illum, nubes dum tranat & Euros,
Tellurem ſuper & pelagi vada cærula portant.
Atque ita compoſitus, viſamque allapſus Idumen
Cernit odorata Libani iuga conſita cedro.
Hîc paribus nitens cæleſtis nuntius alis
Conſtitit: hinc toto ſe corpore in æquora præceps
Miſit agri Syrij. roſeo iam gurgite Phœbus
Surgebat, medium liquidis caput abditus vndis:
Iamque Deo matutinus fundebat amicas
Gofredus de more preces: cum flammeus olli
Ales ab Eoo veniens apparuit ortu,
Tempore par ſoli, ſed ſolis lumine maior.
Tunc ait. En ſacro Gofrede en vtile bello
Tempus adeſt. quæ vos miſeram mora tanta Sionem
Ire vetat? Solymoque hoſtem depellere templo?
Concilio tu coge duces, ſanctique laboris
Languentes ad finem animos tuus incitet ardor.
Te Deus ipſe ducem ductorum lêgit: & illi
Ad tua ſe proni ſubmittent ſceptra volentes.
Hæc tibi ferre Deûm genitor me iuſſit Olympo,
Arcanamque ſuo mentem tibi nomine pando.
O quas nunc primum deuicto ex hoſte coronas
Te ſperare decet! quantas te voluere curas
Commiſſæ ſub mole manus! dein talia fatus
Ad ſuperos, atque alta volans euanuit aſtra.
Reſtitit attonitus dictis, offuſaque tantis
Lumina deiecit radijs Gofredus, & hæſit.

Verum vbi mens valido primum releuata ſtupore eſt
Atque agitat ſecum ipſa. Quis? & quo numine mundi
Actus ad ima fuit? quæ verba ſibi auribus hauſta?
Si prius optabat, nunc vero flagrat amore
Finem imponendi bello, quo lectus in omnes
Ductor erit, cogente Deo: non culmine tanto
Elatus populari animus quiâ turgeat aura.
Sed, uelut vberior flamma confuſa fauilla eſt,
Sic menti coniuncta Dei mens illius ardet
Arma volens. Ergo ſocios inuitat, vt illo
Diſperſi non longe loco ſtationis in vnum
Conueniant. addit pueros, additque tabellas
Aſſiduo, monitiſque preces immiſcet honeſtis.
Et quicquid generis memores ad ſe allicit alti,
Impellitque viros, virtutiſque excitat ignes
Sopitæ, nunc ingenio primum ille videtur
Inueniſſe ſuo: & verbis adeo ornat, vt idem
Vimque voluptatemque animis inſtillet eundi.
Conuenêre duces, quos cætera turba ſequuta eſt:
Et ſolus Calabræ princeps hîc defuit oræ.
Pars extra muros, campoque tetendit aperto:
Antadarus partem tectis, gremioque recepit.
Militiæ vero proceres (o magne Senatus)
Solenni coîêre die. quos maximus inter
Aſpectu his inſit Gofredus, & ore ſonoro.
Ductores ſuperûm regis, quos ille legendo
Antiquas voluit Fidei ſarcire ruinas,

Armaque ſecuros inter, terræque marisque
Deduxit, rexitque dolos pater: vnde tot illi
Tam paruo ſpatio bellantes egimus oras
Sub iuga, cumque ſuo late radiantia ſigna
Nomine per domitas tulimus victricia gentes:
Non equidem (niſi mens adeo me credula fallit)
Et dulces natos, & patria liquimus arua:
Nec pelagi infidi vitam commiſimus vndis
Longinquum aggreſſi bellum: vt per clara virorum
Ora breui, vulgique ſono veheremur inani:
Barbaricæue ſinu terræ potiremur & auro:
Præmia nam tanto parua, atque anguſta labori
Fixa forent, fruſtraque ſuo cum ſanguine vita
Prodita. Sed finis noſtris hic mentibus hæſit,
Quem peterent, claræ muros arcemque Sionis
Expugnare, iugumque piæ ceruicibus vrbis
Deijcere, ac Solymis regnum componere terris,
Securas habeat Pietas vbi candida ſedes.
Neu quiſquam impediat, quo non veſtigia ſummi
Regis, & ingentem tumulum pius hoſpes adoret:
Votaque de niueo ſuſpendat marmore templi.
Ergo quodcunque hûc geſtum fuit vſque, periclo
Magnum eſt, cura etiam maius: ſed laudis honore
Paruum, ſine nihil; ſi alio ſeſe impete vertant
Noſtra loco, aut alijs ſedeant regionibus arma.
Nam quid profuerit totam ſub ſigna coactam
Europam? atque Aſiæ flammam ſparſiſſe per vrbes?

Si non

Si non regnorum moles conſtructa, ſed ingens
Excidium tantos bellorum exceperit æſtus.
Non ſtruit ille autem, humana ſub mole locare
Qui velit imperium, paucos vbi patrius ipſi
Conciliat locus, aut alia de parte fideles
Relligio, innumeris circum vallata prophanis:
Atque vbi ſpes omnis Graiûm præciſa virorum eſt,
Et procul Heſperius terrarum diſſitus orbis
Haud vllam promittit opem. trahit ille ruinam
Verius, vnde caput ſtagnis demerſus Auernis
Quem ſtruxit, tumulo iaceat. tot millia gentis
Abdaridum, tot Perſæ acies, atque inclyta rerum
Vrbs fama, quam ingens Syria diſcludit Orontes:
Non opus id noſtrum, ſed cœli dona fuêre,
Sed triplex eſt parta modis victoria miris.
Hæc ſi, quam clemens horum dator, atque Deûm rex,
Inſtituit, dzflexa alium vertamus ad vſum:
Ne repetat, vereor: neu noſtri hæc dicta claro
Terris fama ſono, cunctis nunc fabula fiat
Gentibus, & populis quondam ridenda futuris.
Ne vero, ne quiſquam vſu diſpergere tali
Munera tanta velit: ſed qui alta exordia ſumpſit,
Huic filo deducta pari cum fine ſequatur
Tela ſuo, hic magnis operum reſpondeat orſis.
Nunc cum tuta via eſt, nulliſque obſepta locorum
Obycibus, nunc cum tempeſtas euocat anni,
Quid ſtamus? quid non Solymæa ad mœnia curſu
Tendimus? vna manet noſtris hæc meta triumphis.

O ſocij,

O ſocij, o proceres ego vos hîc teſtor (at ipſas
Has voces ventura virûm, & preſentia noſcent
Secula, nunc magni noſcunt etiam agmina coeli)
Aduenit tempus coeptis ingenibus aptum.
Effluet hoc celeri lapſum pede, ſi mora noſtrum
Vlla retardet iter: vertet certiſſima rerum
Se facies, vertent animi. præſaga mihi mens
Porro ait: in Solymos lentis ſi paſſibus itis,
Mittet Idumæo Pharius ſocia arma Tyranno.
Dixit: & arrectæ fremuerunt numine mentes.
At Petrus ſolis agitare in montibus æuum
Aſſuetus, princepsque huius conaminis author,
Tunc inter proceres priuata in ſede locatus
Surgit. Quodque modo ſuasit Goſredus, & ipſe
Conſulo, ait, veram quando nec vocis egentem
Rem noſtræ, & nota vobis ratione probauit.
Hoc ego nunc dictis vnum ſuper omnibus addo.
Si recte mecum relego, que mutua vobis
Iurgia certatim ferme iactata fuêre,
Si varios animi ſenſus, ſi languida belli
Officia, & medijs opera interrupta ſub armis:
Ex alio mihi fonte omnis litiſque, moræque
Cauſa fluit. nempe ex illa, quæ ſumma poteſtas
Nutibus in multos paribus librata recumbit.
Vnus vbi Imperij molem, faſceſque ſeueros
Non tenet, vt poenas meritis & premia reddat,
Muneraque vt iuſtis & honores partibus æquet:
Forma gubernandi multis ibi fluctibus errat.

Vos quæso, e membris vnum componite amicis
Corpus, & his vnum præsit caput omnibus alte
Prospiciens. vni vires, vni aurea sceptra
Cedite, & ille gerat regis vultumque vicesque.
Desierat senior. Iam quæ tu pectora! iam quos
Tu sensus o sancta Dei non influis Aura!
Tu mutis olim degenti rupibus afflas
Dicta seni, quibus Heroum corda imprimis: & tu
Affectus animis omnes, quos cæca libido
Regnandi, vel libertas, vel gloria seuit,
Eruis, inspergisque tuos. hinc vertice celso
Illustres primi Gofredum Guelfus, & vno
Vilelmus simul ore ducem, patremque salutant.
Adsensêre alij. Partes nunc illius esse
Debent, concilio res cernere: iusta iubere:
Et bellum quocunque die, cui sederit hosti,
Inferre, & placitas victis imponere leges.
Quique pares illi fuerant, nunc iussibus aures,
Nunc faciles oculos mandantis nutibus aptent.
Iamque volans se fama virûm diffundit in ora.
Gofredus tectis subito progressus ab altis,
Militibus spectandus adest, dignusque videtur
Hoc quo Ductores statuerunt culmine rerum.
Ipse salutantum voces, plaususque fauentum
Compositus placido vultu legit. atque vbi pronis
Parendi, & chari signis respondit amoris:
Imperat vt campo circum lustranda propinquo
Aurora veniente acies sese efferat omnis.

Iam

Iam liquidum ſine more diem, ſine more ſerenum
Eoo rediens Titan eduxerat orbe:
Cum caſtris miles ſub ſignis prodyt omnis
Et Phœbi radyis & luce coruſcus ahena.
Quippe pio ornatus ductori quiſque videri
Summa eſt nixus ope. Ille ampli ſtans aggere prati
Hos in equis, atque hos pedibus cernebat euntes.
Nunc age Mens annos, tacitique obliuia Lethes
Exoſa, ac rerum cuſtos, rerum ordinis author:
Illa mihi ratio valeat, qua corporis eius
Dicam acies, dicamque duces: & carmine noſtro
Splendeat illorum nigris fama eruta ſæclis.
Tu gaza, tu promc tua, quod ſentiat omnis
Diues, inextinctumque ætas. Ante omnia primi
Agmina ſe Galli campo oſtèndere virenti.
Inſula bis geminos inter quos protulit amnes
Sequanio prætenta ſolo. germanus at illos
Regius imperyis Hugon regere ante ſolebat.
Iſque vbi conceſſit fatis, et luminis oras
Deſeruit dulces moriens: conſueta petiuit
Signa, ac cæruleo florentia lilia campo
Aurea Clotareo pubes inuicta magiſtro:
Clotareo, cui non animus, ſed regia deſunt
Nomina: ſi qua duci deſunt, illa effera dextras
Mille agit, & ſolido grauiter ſonat horrida ferro.
Quam poſt inſequitur numero non impar, & arte
Bellandi, grauibuſque armis, atque indole celſa
Indiſcretus eques, patria quem natus eadem

Rupertus fluuio princeps deduxit ab Orna.
Hinc sua pastores populorum insignia soluunt
Bina duo: quorum hic Vilelmus fertur, at ille
Nomine Ademarus. coeli tractabat vterque
Sancta ministeria, & Diuûm curabat honores
Pacis amans. nunc bella ferus, nunc aspera bella
Exercet, longosque premit sub casside crines.
Primus Arausiacæ muris & finibus vrbis
Ter quinas rapuit turmas: nec segnius alter
Irriguis Isaræ campis, ac monte Cemeno
Æquales numero iuuenes collegit, & armis.
Excipit hos duplici Baldonius agmine, cuius
Pars Gessoriaco, & Morinûm naualibus vdis
Acta fuit: partem frater concessit: vbi omnes
Rerum vnus, procerumque datas molitur habenas.
Consiliis bonus inde author, dextraque potenti
Carnutum vehitur princeps. hic quattuor, ille
In sacra sex geminas centeno milite classes
Bella ciet. Guelfus campo se proximus infert
Ingentem meritis fortunam ingentibus æquans.
Hic certo proprium per auos longoque Latinos
Ordine, & Actiacos actum genus omne parentes
Commemorat: sed Guelfonum stirpi insitus altæ
Hinc nomen sceptrumque capit: superamque regebat
Pannoniam, Rhenique amnem prope quicquid & Istrum
Alpicolæ Rheti, aut veteres colûere Sueui.
Verum his imperij materni finibus amplas
Adiecit virtute plagas: gentemque trahebat

Hinc

Hinc modo, quæ mortem contra, quo iusserit illa,
Ire iocum, ludumque putat. Sed querna domorum
Temperat indignam sub tecta tepentia brumam
Læta coronato celebrans conuiuia Baccho.
Quinque olim fuerat, patrijs cum cederet aruis,
Mille virûm, vix ecce duûm nunc explicat agmen
Relliquias Arabum Guelfus. quas ordine pubes
Pone premit, pubes auro per lactea colla
Fulgentes demissa comas, que Theutonas inter
Et Celtas, atque æquor agit: quâ Rhenus apertos
Mosaque perfundunt stagnanti flumine campos:
Frugibus, ac pecudum fœtu lætissima regna.
Et quas vicinæ misêre in prælia turmas
Insulæ, Oceani vastas vbi molibus iras
Indigenæ, & rabidos extrudunt aggere fluctus.
Oceani, quod non merces ac robora siluæ
Texta modo, sed tota etiam regna haurit & vrbes.
Mille in equis lucent numero: regit alter in vnum
Commissos vtrosque globum Rupertus. at illo
Maior adest gnatum regis de stirpe minorem
Vilelmum campis acies comitata Britannis.
Illa quidem sumptis Euros non tarda sagittis
Vincere: & Arctoæ propiores continet Vrsæ,
Vltima quos rerum, totoque ex orbe direpta
Hirsutos altis demisit Hibernia syluis.
Tancredes sequitur. tantis in millibus alter
Non fuit (excepta pueri virtute Rinalti)
Aut ictu melior, pulcroque decentior ore:

Aut curis vulgi, & formidine celsior atra.
Si qua tamen splendori operum leuis vmbra suorum
Officit obtexens culpæ: solius Amoris
Hæc fraus, error hic est: medijs qui natus in armis
Aspectuque breui, curis feruentibus ales
Pascitur, & lacrimis vires acquirit amantis.
Fama est, qua densæ Persarum luce phalanges
Hesperia cecidêre manu: fugientia postquam
Agmina Tancredes nimio defessus in æstu
Dimisit victor, labris ardentibus vndam
Optasse, & gelidum lateri nemus: isseque quo se
Allicit æstiuis mulcens fons vitreus auris,
Humida saxa super, mollique virentia musco.
Olli improuiso niueis hîc paruit armis
Tota micans præter frontem Maumettia virgo.
Venerat hûc, vt fronde æstum lymphaque leuaret,
Ipsa quoque. Hanc ductor vidit, faciemque nitentem
Admirans stetit, & placitis simul ignibus arsit.
Rem miram, vix natus Amor nunc ære rigenti
Accinctus, curru volitat nunc magnus ouanti,
Captiuosque duces victor trahit. illa vbi frontem
Contexit: rapit arma manu, et ni multa piorum
Hostilis turba adflueret, cum principe sæua
Ausonio, fidens animi, congressa fuisset.
Ergo abijt, victoque procul Tancrede profugit,
Solis quæ profuga est fatis. sed enim illa decoræ
Virginis, & bellum vultu spirantis imago
Talis ductoris Latij seruata sub ægro

Corde

Corde est, ipsa illum qualis modo viua reliquit.
Hæret amans: motusque animo, muscosaque fontis
Saxa, quibus vidit, semper languente recurrunt:
Continuus fomes, flammisque recentibus esca.
Et vero, si quisquam acies intenderit, eius
In vultu legat, Hic vano miser æstuat igni.
Sic alto de corde trahens suspiria, humique
Deiectus moestos oculos, vestigia spargit.
Bissenæ numero turmæ, quas ductor in hostem
Ille regit, Capuæ liquerunt æquora læta
Naturæ gaudentis opus, collesque feraces
Quos mare Tyrrhenum ridentibus aspicit vndis.
Hos super adueniunt succincta in veste Pelasgi
Biscentum, & ferri ferme cernuntur inanes:
Sed laterum ex vno falcatus prominet ensis,
Arcusque, Lyciæque sonant post terga pharetræ.
Corporibus vero tenues, parcosque ciborum
Inuictosque malo, & celeri vestigia cursu
Flammea vix summo solitos in puluere campi
Ponere equos flectunt, alterna que prælia miscent
Et volucri dispersa fuga: dum frontibus hostes
Inuadunt, versisque retro referuntur habenis.
Hanc aciem Tatinus agit, qui solus Achiuûm
Ausonios bello conatus iuuit & armis.
O pudor, o facinus. Non tu fœdissima Graiûm
Illa tuis gens bella oris vicina tulisti?
Et tamen vt pleno spectatrix lenta theatro
Sedisti tantosque tuo discrimine nullo

Opperi-

Opperiens rerum euentus. ergo aſpera ſi te
Seuitij nunc vincla premunt, deſiſte querelis.
Fas tibi, fas ea, non duri violentia fati
Iniecit. ſequitur Danaos, atque agmina cogit
Laude, & militiæ primus virtutibus ordo.
Continet hic Aſiæ terrorem, & fulgura Martis
Inuictos Heroas, amor quos altus honoris
Solus in arma tulit. ſileat Minoidas Argo
Per fluctus, ſileas terris Arctture vagantes:
Quorum falſa canunt, vmbriſque ſimillima uates
Authoreſque alij. nulla his namque æqua uirorum
Exempla, aut ingens habuit monimenta vetuſtas.
Hi tamen vna omnes magni Dudonis aguntur
Auſpicijs, ductuque pio: cui Conſua paret
Vrbs Turina ſolo. hunc etenim, cum proprius ipſis
Mars daret, & durum ſanguis diſcrimen auitus,
Vnanimes dixêre ducem, qui plurima bello
Fecit, et innumeras vidit cum moribus vrbes.
Maturuſque æui, cana vir tempora præfert
Sparſa coma & viridi vultum virtute vigentem.
Aduerſoque, impreſſa velut veſtigia laudum,
Corpore crebrum aperit vulnus. Cui deinde micanti
Iam ſubit Euſtathios, tuus o ſanctiſſime frater
Gofrede, atque ſua clarus virtute, tuaque
Præcipue, vehitur Suionum de ſanguine cretus
Hæmonio Gernandus equo: proauitaque iactat
Sceptraque, regnorumque apices, partaſque coronas.
Nec minus egregios inter iaculoue, vel haſta

Rogeri-

Rogerium, & ſæuum patrijs Engerlanon armis
Fama reponit anus: ſed duro robore claros
Guaſcona, Gentoniumque canit, geminoſque Gherardos.
Laudis & Vbaldus ſummæ eſt, pulcherque Britannus
Ardoicum magni Roſmundus principis hæres.
Nec mihi Tyrrhenus fundo mergatur auaro
Fluminis in rapidas vertentis nomina prædas
Obizus. non Inſubres, tria fulmina, fratres
Sforziaque, & Palamedes, atque inuictus Achilles
Condantur mundo, Tuque o fortiſſime ſcuti
Raptor Otho, quod ſeptenis ligat orbibus ingens
Sanguineumque vomens infantem faucibus anguis.
Non Vaſcum, non ipſum etiam poſt terga Rudolfum,
Nec Vidos auſis linquam præſtantibus ambos
Tunc celebres. non Ebrardum, fortemque Genirum
Præteream ingratæ ſub nigra ſilentia noctis,
Quo me tot feſſum numeris Odoarde legendo
Abripis? & pactos celebrans Gildippe hymenæos?
O etiam bello ſocij, vos nulla reuellet
Hora, licet lethi. Quid non hauritur Amoris
In ſpatijs? illa hinc bellatrix extitit audens.
It ſemper charo lateri comes, aptaque eodem
Deuoluit fati filo ſe vita duorum.
Nec vero, que plaga vni modo vulneris obſit,
Accidere vlla poteſt: geminus dolor omnis amantum eſt.
Sepe etiam telum alterius ſub corpus adactum
Si ſteterit, languore alter fluit: illaque riuos
Sanguinis, hic mæſtas animam diſpergit in auras.

Ipſum autem cunctas (æuo florente) Rinaltum
Supra acies, ſupra ire duces virtute videres.
Suaue ferox alte regalem tollere frontem
Conſpicitur: namque omnis eum coniecit in vnum
Intentos facies oculos. Ille arduus æui
Tempora, ſpeſque virûm factis præcurrit, & amplos
Emiſit verno florum ſub tempore fructus.
Hunc ſi fulmineis incluſum videris armis,
Mars tibi credatur: roſei ſin lumina vultus
Oſtendat, pulchrum facie mentitur Amorem.
Hunc Atheſis propter viridantes gramine ripas
Bertoldo Sofia viro, formoſa potenti
Suſtulit. Atque infans nutricis ab vbere raptus
Vix bene dum fuerat: voluit ſibi dia Matilde,
Eduxitque colens, & dignas regibus artes
Edocuit. nec eum lateri diuellier vſquam
Paſſa ſuo puerum eſt: donec Orientis ab oris
Exciuit teneram bello tuba Martia mentem.
Tempore namque illo (nec adhuc ſibi terna redibant
Annorum luſtra) hoſpitijs aufugit amatis
Solus, & Aegeos fluctus, infidaque circum
Littora peruaſit Graiûm, cæciſque viarum
Percurrit loca ſepta dolis: dum ſancta veniret
Caſtra ſuper, procul Heſperijs diſtantia terris.
Inſignis fuga, quamque aliquis digniſſima facto
Exprimat illius magna de ſtirpe nepotum.
Tertia nunc puero bellanti voluitur æſtas:
Ac vix matura mentum lanugine ſpargi

Incipit

Incipit, & molli malæ pubeſcere veſte.
Poſtquam omnes equitum campo exceſſere cateruæ:
Inde pedes luſtrandus adeſt. præit altus auita
Inſignem moderans Raimundus laude Toloſam.
Santonicum ille inter pelagus, celeremque Garumnam
Celtiberûmque arces, & nubiferam Pyrenen
Mille quater peditum legit vi veſtis & æris
Inſtructa, & gelidis corpus durata pruinis
Agmina, non vlli procerum virtute ſecundus:
Seu manibus ſeu mente valens. Hunc proximus vrget
Stephanos, & bis ter lectas in prælia ducit
Mille manus, quâ Turonas effuſus in agros
Piſcoſo fluit amne Liger. non illa laborum
Eſt patiens, non robuſtis gens dura lacertis:
Tota licet ferro, & radianti luceat auro.
Ipſa ſibi ſimiles (credo) producere mollis
Terra homines & læta ſolet. nullæ impete primo
Suſtineant quippe hos acies: mox effluit omnis
Languida vis niuium ritu, quæ ſole tepeſcunt.
Tertius ecce autem prato ſuccedit aprico
Alcaſtus, vultu ſpirans immane minaci.
Teque refert Capaneû, ſcalis qui primus adactis
Auſus in aduerſos Thebarum euadere muros
Turbine telorum periſti. Heluetius ille
Circum Alpina decem legit caſtella cohortes:
Audacem atque feram plebem, quæ ducere ſulcos
Aſſuetum, & duras ferrum proſcindere glebas
Pro maiori vſurigidos conflauit in enſes.

Quaque rudes inculta greges, armentaque dextrâ
Pauit, ea fidens acies ac regna laceſsit.
Nec procul hinc geminis altum ſe pandere Petri
Clauibus, & triplici intextum diademate ſignum
Cernere erat, magnumque ſub hoc egiſſe Camillum
Sexcentum ſolido florentes ære maniplos.
Illum autem lætum tanto ſe munere ferre
Aſpiceres, quo priſcorum Mauortia facta
Et cœlo æquatas laudes inſtauret Auorum.
Aut nihil Auſoniæ virtuti deeſſe, vel vnum
Oſtendat veterem fingendo in milite morem.
Iamque omnis præter campos exercitus ibat.
Gofredus placidis maiores vocibus vltro
Compellat de more duces, animique recludit
Ollis ſenſa ſui. Quum primum craſtina cœlo
Puniceos Aurora ſinus induta rubebit:
Carpere iter iubeo, & ſummis pro viribus hoſti
Ante expectatum Solymis vos ponere campis
Adniti caſtra. ergo animis bellumque viamque
Præcipite, & ſacras læti præſumite palmas.
Talia dicta viri (nec enim de corde feruntur
Illa leui, aut meritum lingua prodente timorem)
Omnes accendunt, virtutemque omnibus addunt.
Idem omnes ſimul ardor habet, ſub prima recentis
Lumina Solis iter properare: ſed omnia longe
Proſpiciens ductor premit altam pectore curam.
Namque Phari valido, numeroſoque agmine regem
Inſtructum Peluſiacam contendere Gazam,

Ventu-

Venturum auxilio Syriæ, valloque futurum
Audierat. nec lenta illum terere otia posse
Sectatum semper belli fera munera credit.
Hoc metuens, hostemque putans mox affore magnum
Talibus Henricum alloquitur. Te nuntie terras
Fide volo in Graias celeri transire phaselo.
Illic namque ferunt (ita me modo pagina nunquam
Veri vana docet, gemmaque insignis amica)
Aduentare satum præclaro sanguine Regum,
Inuictumque animi iuuenem, qui iungere nobis
Se cupit, & gelida magnum trahit agmen ab Arcto.
Sed quoniam hîc fallax infido pectore Cæsar
Forte aget, & patrias versabit Thracius artes:
Quo cursum iuuenis relegat per trita locorum,
Aut procul a nobis alias conuertat in oras:
Tu meus interpres, tu rerum experte mearum
Consilijs, Dani dubiam sic nomine mentem
Flecte meo, commune bonum ne cogitet ipsi
Deterere ac nobis, Asiæ neu limine primo
Pendeat: at nostris socius celer aduolet armis:
Nulla etenim, nulla hunc deceat iuuenem mora. Sed tu
Ne secum propera, semperque affixus inhære
Argiuûm lateri regis, promissaque nobis
Sæpius auxilia, & pacto quoque debita pridem
Fœdere fac primo maturet lubricus Euro.
Sic monet. Is postquam tabulis fidei ampla recepit
Argumenta suæ, & missam de more salutem:
Discessus veniam petit ocius. atque ibi curas

Gofre-

Gofredus multa placans in nocte quieuit.
Verum vbi se roseus lucenti e limine Phœbus
Extulit Oceani: rauco clangore per agros
Insonuêre tubæ, tergoque immane luporum
Instrata, ac tereti strepitum reddentia corno
Timpana concrepuêre. viæ sonus excitat omnes.
Non ita, cum nimio terræ feruore dehiscunt,
Agricolis gratum percurrit nubila murmur,
Quod largos illis, & amicos nuntiet imbres:
Vt iuuenum læto perfudit pectora motu
Martius ille canor. nec iam mora: quisque suetis
Induitur spolijs, et iniquo fasce grauatus
Apparet, seque ipse suo sub principe cogit.
It iunctum campis agmen: soluuntur in auras
Signa leues, primoque rubens CRVX ardua velo
Splendet, inexhaustis Erebi ditata triumphis.
At Sol interea celsum per cærula mundi
Tendit iter spatia, & tremulam sub nubila lucem
Aere lacessito iactat, geminasque tuentum
Præstringentem acies. credas ardere fauillis
Aëra, & innumeris inuolui fluctibus, ignis.
Nec minus hinnitu stridor commixtus equino
Auditur ferri, & colles rmpuntur & agri.
Ductor ab insidiis tutos hostilibus agmen
Moliri cupiens gressus, late omnia circum
Exploratores, equitum leuia arma volucrum
Præmisit: multoque pedes præcesserat ante
Qui munire viam posset, variasque lacunas

Comple

Compleat, atque aditu montes concidat iniquos,
Et reſeret cæcas anguſto limite fauces.
Non tamen illorum curſum collecta morari
Vel Maumettigenûm valeat manus vlla, vel alta
Præcinctus foſſa, terrenoque aggere murus:
Vortice non rapido fluuij, non Alpibus æqua
Aſperitate iuga, aut crebra nemus arbore denſum
Impediant. Qualis niuibus cum forte liquatis
Intumuit rex Eridanus, ſuper alta ſuperbus
Euolat, euictis ripis & molibus, arua.
Solus, qui magna Tripolim ditione regebat,
Quique viros, atque arma potens, ignotaque muris
Pondera & argenti validis claudebat, & auri:
Gallorum contra fors iuerit agmina: verum
Non auſus duro fuit illa laceſſere bello.
Quinimo pacem orantes, & dona ferentes
Ire viros iuſſit, Galloſque recepit in ampla
Vrbe voleus, vnaque pio quam dicere pacis
Ductori placuit non vllo fœdere legem.
Hîc autem de monte Seir, qui proximus vrbi
Imminet, eoaſque Auroræ deſpicit arces,
Multa virûm vulgo, ac matrum, puerumque ſenumque
Subiectos turba alma Dei deſcendit in agros,
Vina ferens, dulceſque pijs victoribus eſcas.
Gaudet hians animis ſpectando, & grata ſerendo
Alloquia, ignotoſque habitus miratur, & arma.
Hoc etiam e numero ducibus tunc vſus amicis
Gofredus fidiſque viæ, per aperta locorum

Agmen agit Syrij ſemper prope littoris vndam:
Haud ignarus erat quando vicina legentem
Æquora iter liquidum ſociam ſibi radere claſſem.
Vt vero victum, vitamque tuentibus agmen
Affluat, hæc facere vna poteſt: vtque omnis Achiuûm
Flauentes illi ſegetum ſecet inſula meſſes,
Maturaſque legat Crete de collibus vuas
Atque Chios lapidoſa. gemunt ſub pondere vaſto
Nauium, & aërea feruent freta proxima pinu.
Iam non vllus Arabs pelago, quod ferrea Calpe
Atque Abyle diſciſſa vadis emiſit Iberis:
Vela det, aut ulla tutus ſtatione quieſcat.
Tot adeo Venetis inſtructas egit ab oris
Adriaci regina rates Vrbs alta profundi,
Tot Ligurum domina, & tumidum mactante draconem
Læta Deo. nec non latis ditiſſima campis
Gallia, & huic albas oſtentans Anglia rupes,
Almaque Trinacria, & Batauûm Mauortia tellus
Miſerunt plenas armato milite naues.
Atque hic, qui veræ nexu deuinctus amico
Relligionis erat, vario ſe littore rebus
Inſtruxit, queis tanta acies terreſtris egebat.
Verum ea, cum nullos mirans in finibus hoſtes
Conſpiceret contra Solymis, & muta relictis
Omnia ſtare locis, volat acri concita curſu,
Et ſancti monimenta petit, ſedemque ſepulcri.
Fama ſed ante volans trepidam peruenit in vrbem:
Et verum infœlix pariter, fictumque ſerebat

Victores coijſſe viros, incedere fœlix,
Securumque agmen nullo tardante moueri.
Hæc acies eadem, atque duces, & nomina, & amplas
Virtutes, & facta canit: dominoſque Sionis
Territat iniuſtos ſæuo Dea lurida vultu.
Nempe malum metus ipſe mali, peſtiſque futuræ
Eſt maius, fors quam præſens ſi peſtis adeſſet:
Vſque adeo ſuſpenſum animum rumoribus auræ
Incertis agitant omnes: perque arua, per urbem
Confuſi ſonus oris, & illætabilis errat.
At ſenior ſecum dubio Rex pectore verſat
Effera conſilia, & vicinis acta periclis.
Rex Aladinus erat, Solimûm quem multa recenti
Cura ſuper regno noctesque dieſque coquebat,
Crudelis quondam: ſed cano mitior æuo
Redditus, exuerat mores, animumque ferarum.
Ille quod Auſonidas ſeptris atque vrbe potiri
Velle ſua audierat: veterem ſuper ægra timorem
Suſpicio venit, dupliceſque miſerrimus hoſtes
Hinc Gallos pauet, inde ſuos: namque vna Sionis
Compulerat fidei varios in mœnia ritu.
Maumetten quorum pars magna veretur, opumque
Amplior: in Ieſum tenuis ſubnixa recumbit.
Verum vbi rex Solymas bellando quæſiit arces,
Imperioque nouo firmas ibi ponere ſedes
Conſtituit: plebem ipſe ſuam releuauit, & vrbis
Muneribus ſanctos cœli mage preſsit alumnos.
Hoc memorans innatam animis, quæ frigida & æui

Languebat ſpatio feritas ſopita vetuſto,
Acribus incendit ſtimulis, vt non magis illa
Ante pij ſitiens flagrarit ſanguinis vnquam.
Talis, ſub terra placidum quem bruma tegebat,
Exilit æſtiuis ad Solem menſibus anguis
Arrecta ceruice micans: atque inſita talis
Exerit arma leo, denteſque domi altus, & vngues
Si quiſquam offendat. Video certiſſima ſigna
Lætitiæ hac in turba, inquit: ſolamque doloris
Immunem, ſolam in luctu ridere meorum.
Et fors inſidias, fraudeſque infida maligno
Corde fouet, ſecum voluens, quo me impia letho
Adficiat: quaue arte meos in mœnibus hoſtes
Inferat, & populo portas clam pandat amico.
Sed fruſtra, ſed erit fruſtra. Nunc hæc ego facta
Præuertam, & noſtri ſatiabo pectoris iras:
Vltor ero: per dira actos tormenta necabo.
Natorum calido perfundam ſanguine matres,
Mollia dum pendent innexi brachia collo.
Ipſe faces in templa feram, flammam ipſe ſub ædes
Conjiciam: hic cæſos merito rogus hauriet igni.
Et prius illo, illo media inter vota ſepulchro
Hoſtia digna meo cunctus cadet enſe Sacerdos.
Sic loquitur ſecum furijs agitatus iniquis:
Non tamen hos animi ſequitur ſententia motus:
Sed neque nil meritis pietas ignoſcere ſuadet.
Maior agit mentem metus, atque potentior obſtat
Suſpicio: nimis ille viros, nimis arma Latina

Irritare

Irritare timet, ſpem cunctam incidere pacis.
Inſanas igitur crudelis Barbarus iras
Temperat, imo alijs iras in partibus explet:
Agreſtumque caſas, & pictos abiete pagos
Diruit, exæquatque ſolo: cultoſque per agros
Submittit piceum populandis frugibus ignem.
Omnia peruaſtat late loca, quo neque paſci
Gallus, nec ſtrato poſſit, tectoue cubare.
Quin etiam fontes liquidos, lethique venenis
Riuorum ſpargens laticem confundit, & amnes:
Immitis cautuſque ſimul. non immemor vrbem
Interea munire tamen, quâ vertice molli
Mons ſurgit, gelidum Boreæ proiectus in axem.
Hoc latus (excelſæ cingunt nam cætera rupes)
Ingenti iam tum muro ſepire parabat,
Cum primam belli famam leuis attulit aura:
Et geminos vario complebat milite colles.

SCIPII GENTILIS
SOLYMEIDOS
LIBER SECVNDVS.

ATque ea dum sæuus bello parat arma Tyrannus:
Illi se solis Ismenus partibus offert,
Ismenus, qui clausa cauo de marmore ducit
Corpora, et aërios reddit cum sensibus haustus:
Murmure qui ualido cantus intrà horrida cæcum
Terret regna ducem, Stygiosque ad iussa ministros
Impia agit, nectitque uolens, vinclisque relaxat.
Hic modo deserta ueri Maumetten adorat
Relligione Dei: veteres sed linquere ritus
Nescit adhuc tamen, atque horum male nota prophanos
Sæpe sibi mandata miser confundit in vsus.
Et nunc de specubus, vulgo quibus omne per æuvm
Ignotas agitare procul solet hispidus artes:
Regem fœdum animis, author fœdissimus ipse
Consiliis adit, ac regni discrimine tanto
Hæc super effatur. Solymam iam uictor ad vrbem
Accelerat, duris horrens exercitus armis.
Verum age (nam fortes Diuique hominesque iuuabunt)
Curemus, quodcunque uiros curare necesse est.
Cuncta quidem ducis, ac cani tu munera regis
Prospiciens longe implesti. si quisque saluti
Sic uacet, officioque suo parere laboret:
Hostibus euadet nostris hæc terra sepulcrum.

Ipse

Ipſe equidem comes hac operum, ſociuſque pericli
Aduenio. quicquid viridis præſtare ſenectus
Conſilij, & magicæ poſſunt molirier artes,
Polliceor. cœlo pulſos in Tartara fratres
Aligeros operum in partem cogam ore meorum.
Sed prius, vnde velim tanti primordia facti
Accipere, expediam. Templo iacet ara ſub imo
Ieſidum, obſcuroque latens telluris in antro.
Virginis hic niueo vultus circumdata velo
Effigies ſedet illius, quam credula Diuam
Turba ſuam, matremque Dei fecêre ſepulti.
Ante illam ſeu nocte faces ſeu luce coruſcant
Incenſæ, & longo circum vota ordine pendent,
Quæ faciles animi gentes ad falſa tulerunt.
Hanc inde effigiem rapias, manibuſque reuulſam
Ipſe tuis in templa velim Maumettia condas.
Dein ego tam valido deſtringam carmine manes,
Vt donec noſtro facies ea ſepta manebit
Præſidio: his ingens fato cuſtodia portis
Excubet, atq; tuum muris obuallet abenis
Inſueta imperium virtus. Sic fatur: at ille
Impatiens monſtrata Dei citus arripit antra.
Viq; ſacerdotes adytis, & limine ſancto
Exigit: & caſtæ ſimulacrum auellere Diuæ
Nil veritus, templo condit, quo ſæpe nefandis
Irritant miſeri cæleſtum cultibus iras.
Illo deinde loco, & ficti ſub imagine vultus
Noxia Theſſalico ſoluit Magus ora ſuſurro.

Verum

Verum vbi puniceis ſtellas Aurora quadrigis
Expulit, & ſummos patefecit lumine colles:
Abdaridum templi cuſtos, qua ſede locata eſt,
Effigiem non vltra oculis vigilantibus hauſit
Horridus, atq; alia incaſſum regione requirit.
Nuntius hinc regi volat ocyus. ille furore
Exuperans Ieſidem auſo, furtoque potitum
Secum aliquem putat. Aut auſum Ieſidis, & idem
Furtiuum noctis cæcis opus extitit vmbris:
Aut certè hîc magni ſe vertit numen Olympi.
Reginæ immunda ſimulachrum ſede latere
Indignans, Diuæque ſuæ. nec certa nepotes
Fama tenet, cui tanta patres hominiue, Deoue
Adſcribant. Sed noſtra Deum, ſummiſſaque credat
Authorem pietas, & magno cedat Olympo.
Rex importunis euolui cuncta miniſtris
Templa domoſque iubet: pœnaſq; & præmia ponit
Prodenti, aut latum furto, noxamue tegenti.
Ipſe ſuas etiam fraudes, & carmina demens
Nequicquam Iſmenus repetit. nam maximus illum
(Seu ſua, ſiue hominum fuerit res tanta piorum)
Celauit Deus, atque artes eluſit iniquas.
At vero in ſanctos odio crudele Tyrannus
Fertur, & immenſis irarum fluctuat vndis.
Nec iam præſentis caſus, certiq; pericli,
Gallorumue memor, generis commiſſa peroſi
Vlciſci cupit, atque animum exaturare furentem.
Quicquid erit, ſuper ignotus commune iacebit

Strage

Strage latro: haud omnis vacuas furor ibit in auras
Noſter, ait. ferro iuſtus procumbat, & inſons:
Ne reus euadat furti modo. Sed quem ego iuſtum,
Quem nunc inſontem dico? nonne agmine in illo eſt
Quiſque nocens, noſtrique æternus nominis hoſtis?
Si cuius non iſte animam nouus illigat error,
Sit pœnæ commiſſa lues antiqua recenti
Vna ſatis. nunc ferte faces, nunc ſtringite tela
O ſocij, & duplicem Solymis miſcete ruinam.
Sic fatur Syrijs, & turba ſeptus amica:
Quæ ſimul ad trepidas Solymûm fama accidit aures,
Concuſſis hæſere animis, atq; omnia membra
Corripuit pauor, & lethi præſentis imago.
Nec quiſquam numero ex illo iam tendere contrà,
Molirive fugam, aut animum mollire Tyranni
Audeat, & furto veniam prece poſcere ſupplex.
At dubij, trepidiq; illinc cepere ſalutem,
Vnde nefas ſperare fuit. Iam nubilis ipſos
Inter erat Veneris maturo fœdere virgo.
Moribus hæc altis reges æquabat, & omnes
Vna Palæſtinas formoſo corpore nymphas
Vincebat: nulla formam tamen arte colebat,
Vel quanta ornando quiret ſatis eſſe pudori.
Et (qui maior honos ſuus eſt) ingentia muris
Anguſtæ decora illa domus inculta tegebat,
Et viſu, & blandis iuuenum ſecluſa querelis.
At non ex oculis formam cuſtodia prorſus
Mirandam eripiat: nec tu pulcherrime facto

Huic

Huic accedis Amor: sed claro è lumine Solis
Seductam pueri cupidis tamen iguibus offers.
Inclyte Amor, tu, qui densis nunc cæcus amantum
Obnubis vittis oculos, nunc exuis Argus
Atque agitas circum, lumen iuuenile tulisti
Virgineos intrà thalamos. Sofronia virgo
Dicitur, Assyriumq; puer fert nomen Olindus:
Cultores ambo vnius patriæq; Deiq;.
Ille, quod ante alios iuuenes præit ore modesto
Vt virgo ante alias forma præstante puellas:
Multum optat, minimum sperat, nil denique poscit,
Nec reserare suos illi miser audet amores.
Ast ea, siue hæc non videat, seu temnat amantem
Declinetue sciens oculos: per mille labores
Pectora mœrentis pueri flagrantia ducit.
Diditur interea rumor miserabile toti
Ipsorum populo exitium, cædemq; parari
Infandam. tales subito Sofronia voces
Accepit, pariterq; pudens, animosaq; virgo
Protinus immeritis tantas auertere clades
Secum agitat. vis hunc animi fortissima motum
Impellit, sed virginei pudor obstat honoris.
Viuida uis vincit. quinimo fœdere sancto
Audacem sinubus castis infusa pudorem,
Seq; verecundam Virtus facit. exijt ingens
In vulgus nullo penitus comitata ministro.
Nec decus ipsa suum texit, nec prodiga turbæ
Exposuit, tenuitq; oculos, veloq; fluentes

Collegit

Collegit Tyrio crines, atque omnia ſanctis
Membra modis agitans, greſſuque effinxit honeſto.
Nec facile tecum ſtatuas, faciemne decoram
Compoſuit fors an cultus: nam cultibus ipſam
Averſam Natura ſuis, meliorque Cupido
Artibus, & flammis Cœlum ridentibus ornat.
Ergo omnes in ſe ſe acies, animoſque tuentum
Ardua conuertit: regemque inuicta ſub ipſum
Progreditur, vultuſque feros, iramque frementis
Suſtinet, ac ſolio referens ità conſtitit aureo.
Aduenio, rex (iamque tuum ſuſpende furorem
Interea & populo frænos precor adde ruenti)
Aduenio, tibi quæ ſontem, quem quæris, & vnde
Offenſum te adeo præfers, retegam ipſa, tuoſque
Ante pedes gelida vinctum formidine ponam.
Reſtitit intrepida confuſus voce Tyrannus
Virginis, & claro formæ florentis honore
Attonitus: mulcetque iras, frontemque ſerenat.
Et ſi is corde minus ſæuo, aut minus illa ſeuero
Vultu erat, ipſe foret dulci obretitus amore.
At verò duros animos duriſſima forma
Nequicquam penetrat, molliſque Cupidinis eſca
Delitiæ, luſuſque abſunt. ſtupor inſcius ergo
Ille fuit, ſubitæque afflans dulcedinis aura:
Non pietas, non vllus amor, qui ferrea fregit
Corda ſenis, placidaſque expreſſit pectore voces.
Cuncta mihi, quæcunque (inquit) ſint vera, fatere
O Virgo, & pauidam curam ſepone tuorum.

Illa autem: Reus ecce tibi, qui fatur: et huius
Dexteræ opus furtum est: vestris ego sola reuelli
Effigiem templi ex adytis. me uerius vnam
Afficies pœnis. fato sic obtulit vltrò
Communi sublime caput, tantosque malorum
In se vnam voluit virgo deuoluere fluctus.
Magnanimum figmentum. aut vnquam lucida veri
Est facies adeo? et cœlo mage digna sereno.
At non hîc senior subit us (vt semper) in iras
Concedit, pariterq; minas suspendit, et instat
Quis tibi consilium? quis opem tulit? Haud ego quemquã
Ipsa meæ, refert, consortem adsciscere laudis
Vel minimam in partem uolui mihi conscia porro
Sola fui, sola et furti fabricator, et author.
Ergo in te solam nostro, Rex suscipit, omnis
Ira ruens vltrix solio decumbet: at illa
Hoc, ait, hoc uerum est: vnam persoluere pœnas
Me decet, vna tuli uiridem quæ laude coronam.
Hìc rursum turbato animis, latebrasq; roganti
In quas effigiem abdiderit, sic orsa Tiranno
Ora refert. Non ignotis (vt rere) sub umbris
Effigies occulta iacet: sed nuper eadem
Hac exusta manu nigros persedit in ignes.
Idque mihi egregium duxi. sic dextra prophana
Polluere, et fœdi am nequeat vis stringere casus.
Aut furtũ, aut tu posce reum. Nunquam illud, at istum
Aspicis en coram. quamuis quid crimine nullo

Nominibus

Nominibus demens vtor furtique, reique?
Namque æquum eſt turpes raptori auellere prædas.
Dixit: at ille omnes irarum laxat habenas
Aſper, acerba fremens. nil caſtæ virginis ora
Nil animi mens alta iuuat, fruſtraque furori
Formæ obtendit Amor clypeum. Iam pulchra Tyranni
Voce rapi, et calidis virgo torrenda iubetur
Flammis uiua dari, peplumque togamque miniſtri
Femineam abripiunt: properi iam mollia tergo
Brachia reducunt, et duris nexibus arcent.
Ipſa ſilet, fortique leuem ſub pectore motum
Præſentit: neque tum pallor, ſed candidus ora
Ora color roſeo dudum uernantia pingit.
Talis in vrbe volans caſus vulgatur, & omnem
Huc populum trahit: huc etiam concurrit Olindus
Multa agitans, dubioque metu perfixus amantis.
Vt vero hanc preſſam manicis, et frigore vidit
Perfuſam gelido lethi, duroque miniſtros
Inſtare officio: tum tota ex vrbe fluentis
Præcipitans populi circum ſe diſjcit vndam.
Et procul exclamat. Nihil ò, nihil iſta Tyranne
Egit, ſeque amens alieno iactat honore.
Non ſenſit, non auſa fuit, nec femina tantum
Sola, rudis rerum, potuit perducere factum.
Nam quî cuſtodes latuit? quaue arte recepit
Effigiem? dicat: noſtros ſi dicere poſſit
Defenſos atræ dono caliginis auſus.

Tantum illam infœlix, nec ei dilectus amauit.
Subjcit his. Ego, rex illuc vnde ardua vestri
Accipiunt delubra diem Maumettus, et auram,
Clam nocte euasi, cœloque elapsus amico
Aedis inaccesso transiui limite muros.
Ne quæso, ne sancta meas præcerpere virgo
Morte velis dura laudes: meus iste catenæ
Est nexus, meus ille rogus, mihi flamma paratur.
Sustulit humanum puero Sofronia vultum,
Luminibusque pijs lustrans, Ecquò miser, inquit
Aduenisti insons? quæ te sententia duxit?
Vel quis in exitium rapuit furor? ergo ego cunctam
Vnius sine te nequeo vim ferre minantis
Sola viri? & mi etiam pectus. sed talia frustrà
Illi dicta volant: & sensibus hæret in ijsdem
Nec verbis mutatur amans. O nobile magnæ
Virtutis cum pinnigero certamen Amore!
Mors vbi victori & piceæ sunt præmia tædæ,
Victo pœna salus. gliscit magis ira Tyranno,
Ægrescitque furens animus: spernique videtur
Ipse sibi, pœnas olli dum mutua spernunt.
Æqua fides ambobus, ait, præstetur: & ambo
Victores habeant dignas, me iudice, palmas.
Inde loci nutu lictorem commonet. ille
Accedit, pueroque manus post terga reuincit:
Extemploque duos ad palum deligat vnum
Componens humerosque humeris, vultusque micantes
Vultibus eripiens. & iam pyra condita surgit,

Funere-

Funereoſque cient ventoſis follibus ignes.
Quum puer ingentes imo de pectore queſtus
Rumpit, & has lachrymis voces rorantibus addit.
Ergo hic nodus erat, quo te mihi perditus omni
In vita adſtrictam, ſociamque (heu vana) futuram
Speraui? hic erat ille ignis, qui pectora noſtra
Arderet paribus flammis? mihi ſæpe Cupido
Ipſe alios nexus, alios promiſerat ignes:
Sors alios inimica parat, quoſque inuida viuos
Diduxit, mortis miſero ſic tempore cogit.
Hoc ſaltem haud deflenda mihi: quòd me tibi fecit
Conſortem lethi atque rogi, poſtquam eſſe nequiui
Et vitæ, & thalami. tua me fata aſpera terrent
Non mea, qui tecum maneo moriturus. & ome
Felicem, dulcesque meas in funere pœnas.
Si dabit, vt ſimubus collatis æger in iſto
Ore tuo vitam, & labris languentibus edam,
Inque mea extremam mecum ſimul ora fatiſcens
Ipſa tui mittas halantem pectoris auram.
Sic queritur lachrimans: ſuaui ſic ſuſcipit illa
Voce monens. Alios ſenſus, aliaſque querelas
Maiorem ob cauſam præſens ſibi poſtulat hora
O iuuenis. quin tu labes, admiſſaque tecum
Mente recognoſcis tacita? & quæ præmia, voluis,
Promiſit Deus ampla pijs? age nomine perſer
Iſta ſuo, & ſuperas aſpira lætus in arces.
Aſpice diffuſum candenti lumine cœlum
Vt nitet? vt nos hinc facies vocat aurea Solis

In cœlum, & mœstos radijs solatur amicis?
Hic plebs ingentem tollit Maumettia luctum:
Luget amica etiam demissa voce piorum
Turba, & nescio quid regis per dura videtur
Pectora inassuetum molli quoque serpere lapsu.
Præsensit, torsitque oculos iratus, & illinc
Se rapuit. Tu communem virgo vna dolorem
Destituis, nulloque irroras lumina fletu.
Ecce autem, tenui positis discrimine mortis,
Egregius forma, & peregrino clarus in ostro,
Ignotisque armis, longisque superuenit oris
Bellator (sic visus enim): cui fulua micantem
Sustinet argento duplici galea ardua Tygrim,
Atque oculos rapit. Hoc belli Clorinda superbum
Induere, & fama memoratum insigne solebat.
Vnde illam cuncti (nec frustrà) rentur adesse.
Hæc omne ingenium generis muliebris, & vsus
Femineos primis infans contempsit ab annis.
Excelsamque colo dextram, calathisue salignis
Flectere, nec Lydæ radijs dignata puellæ,
Non acui: molleque habitus, & clausa locorum
(Namque etiam latis tutò pudor errat in aruis)
Exijt: & fastu faciem munire rigenti
Conata est. etiamque rigens, etiam aspera cepit.
Fræna manu iam tum parua lucentia strinxit,
Aut volucri diffudit equo: viridique palæstra
Apta fugæ fingens, & duro membra labori
Reddidit, æratumque ensem vibrauit, & hastam.

Inde

Inde per aërias rupes, nemorosaque lustra
Egit aprum, aut fuluum iaculo succincta leonem.
Bella dehinc, pugnasque obyt, generique virorum
Visa fera est, homo visa feris. Nunc obuia tendit
Surgenti imperio, ducibusque aduersa Latinis,
Gaudentem roſea Phœbi face Perſida linquens.
Quanquam ſæpe horum ſparſit prius arua reciſis
Artubus, & vitreos ſuffudit ſanguine riuos.
Ergo hîc primum illi ſe lurida mortis imago
Obtulit ante oculos, ſtudioque accenſa videndi
Spumantem hûc admittit equum. dant omnis eunti
Turba locum, & denſa cedunt diffiſſa corona.
Tum ſimul ad palum vinctos duo cernit eundem.
Hæc ſilet, ille gemit: virtuſque in virgine maior
Apparet. ſed enim ritu miſerentis acerbo,
Mœrentiſque videt puerum, atque aliena dolentis
Fata queri, lachrymiſque genas tabeſcere ſalſis.
Ipſam autem tacitam, ſummique in candida cœli
Miratur gemino defixam lumine templa
Suſpicere, & terras animo liquiſſe iacentes.
Olli animum ſtrinxit pietas, lachrymaſque dolore
Victa dedit. verùm magis alta ſilentia, & illa
Virginis haud vllo facies mouet vuida rore,
Quàm pueri gemitus, liquidæque in morte querelæ.
Tunc hominem, qui forte ſuo vertente ſenecta
Adſtabat lateri canus, ſibi dicere quæſit,
Quæ culpa excidio iuuenes, fortunaue mergat,
Et qua gente ſatos. dedit ille breuiſſima grato

Ore-

Ore quidem, ſed plena ſenex reſponſa roganti.
Obſtupuit, pariterque ambos ſubducere morti
Innocuos credens ſtatuit, quantum arma valebunt,
Arma, preceſſue ſuæ. pulchro volat aurea niſu,
Iamque inceſſentes retrò conuertere flammas
Imperat, & toruos terret ſic voce miniſtros.
Ne quiſquam hoc veſtri procedere longius auſit
Officio: donec iterum cum rege locuta
Iam iam adero. non ille huius vos arguet vnquam,
Ne trepidate, moræ. commoti talibus illi
Vocibus, ingentique aſpectus lumine parent.
At virgo tecta hinc Solymi petit alta Tyranni:
Dumque petit, regem contra ſe cernit euntem.
Mox prior hæc. Adſum Perſarum ex orbe meorum
Clorinda: hoc veſtras fando ſi nomen ad aures
Peruenit. tecum hûc fidei communis alumna.
Ipſa fidem, regnumq; tuum defendere veni.
Nec quæuis patriæ pro libertate recuſo
Munera obire tibi: ſeu me intrà ſepta latere
Murorum, ſeu vis campo ſplendere patenti.
Ardua non timeo, nec humi repentia ſperno.
Dixerat: & dicta excepit ſic ore Tyrannus.
Ecquæ nam tellus adeo ſummota receſſit
Extrà Aſiæ, Soliſque plagas? quo non tua fama
Venerit, & nitidas ingens decor explicet alas?
Nunc quoniam es coniuncta mihi, ſecurus ab omni
Fortunæque metu, & dubij formidine Martis
Lætus agam. non ſi innumeras mea regna phalanges

Tutarì

Tutari aſpicerem, tanta ſpe certior eſſem.
Iam mihi, iam nimium aduentu tardare videtur
Gofredus. Tu poſce modo, quos ferre labores
Ipſa velis belli. ſolum te grandia, ſolum
Aſpera digna puto. en ſceptrum ſuper agmina cedo
Noſtra tibi, nutumque tuum pro lege ſequantur.
Illa vbi iucundis grates pro laudibus egit,
Sic rurſum. Noua res certe videatur, vt ante
Impenſas operas merces, ac præmia vadant.
Sed tua me bonitas animi ſperare coëgit,
Quæ cupio non magna. reos Rex optime vellem
Te mihi pro meritis illos donare futuris:
Dono namque peto. Sed enim ſi crimen (vt aiunt)
Incertum eſt, ſummi hos rapit inclementia iuris.
Verum hoc ipſa equidem ſileo, furtique ſolutos
Cur ambos credam, ſigna indubitanda relinquo.
Et tantum hoc dicam, cunctis hærere tuorum
Fixum animis, Diuæ paruam Ieſidas amatæ
Effigiem rapuiſſe: ſed a veſtro procul auia fertur
Mens errore mihi, & certo ſe tramite ducit.
Legum contemptus, & relligionis auitæ
Illa fuit res ſuaſa Mago: namque haud licet vllum
In templis cuiquam ſimulachrum ponere noſtris:
Aut poſitum ferre. hinc monſtri præſentis, & iræ
Me iuuat ex alto Maumetten credere cœlo
Authorem. Deus ille, Deus fuit: & ſua celsâ
Templa manu, rituque parens ornauit amico.
Vt volet, Iſmenus cœlumque & Tartara voluat:

Is cui pro telis astus, cui torpor habetur
Pro muro. nos ferrum equites tractemus, & arma:
Hæc ars, hinc dulces liceat sperare triumphos.
Desierat virgo: & palmosæ rector Idumes,
Quanquam animus cunctis ægre mansuescere dictis,
Aut pietate valet: tamen illi obstare negando
Noluit. id ratio suadet, virtusque precantis.
Tum sic voce refert. Viuant, animaque fruantur
Liber vterque suâ: tantoque haud vlla negentur
Intercessori. siue hæc res æqua putanda est,
Insontes culpæ, ac voci præconis iniquæ
Eripio: siue est pietas, & gratia, dono.
His dictis, subito iuuenes rumore coorto
Exuti pariter palo, vincliſque fuerunt.
O fatum pueri felix, o sidera fausta.
Edere qui facinus potuit, quo mutua tandem
Semina magnanimo in gremio succepit amoris.
Et nunc ille reus, nunc castæ sponsus amantis
Vadit amans: rogus in thalamum concedit, & atræ
Inniueas abeunt florenti lumine tedas.
At Solymûm princeps vicinum tale veretur
Connubium, talesque animos: quibus actus vtrumque
Longe Palæstinæ campis, Libanoque relegat.
Nec tantum satis esse putans, hos fœnus acerbo
Exilio mutare domos, & patria vrgit
Limina: compellitque alios in certa locorum.
Heu durum discrimen, auos, paruosque nepotes
Cum linquunt, dulcesque thoros. namque ille ferox

Ingenio

Ingenio natos, & forti corpore tantum
Præstantes vrbe expellit, muliebreque secum
Quippe genus mite, atque imbelles detinet æuo:
Obsidibusque fidem, certo ceu pignore, firmat.
Illorum multi patria errauere relicta:
Pars ira superante metum se se obuia Gallis
Iunxit, vt irriguam primum conuenit ad Isson:
Isson, quam breuis à Solymûm via diuidit vrbe:
Et si quis primo hinc abeat iam Sole viator,
Illuc sub decimam lentus peruenerit horam.
O quantum hic Gallos arrexit nuntius! o quot
Adiecit stimulos animis antiqua cupido!
Hîc tamen in viridi ductor canentia campo
Tendi vela iubet, medium namque igneus axem
Egerat, & pelago Titan properabat Ibero,
Nec mora, contendêre omnes: cùm forma duorum
Ignota sub veste virûm, peregrinaque surgit:
Omnis & in morem pacis composta videtur.
Hos Pharia rex ipse plagâ pia castra Latini
Iussit adire ducis, stipatosque agmine magno,
Et turba comitante vehi: quorum alter Alethes
Dictus. eum turpi quondam de puluere plebis
Surgentem ad summos Nili regnantis honores
Ingenium varium, & mores vexere sequaces.
Vexit mens fandi fictrix, tum lingua suauî
Melle fluens: atro quamuis suffecta veneno.
Sæpe dolos, fraudesque, & liuida crimina spargat:
Liuida, sed lepido laudum fucata colore.

Argantes alter Phariam peregrinus in aulam
Vsque pharetratis quondam peruenit ab Indis
Cyrcassus. nunc imperij, procerumque receptus
Ordine, militiæque gradu situs eminet alto.
Atque idem impatiens, ferus, intractabilis, armisque
Inuictus: pariterque Deos contemnit, & omne
In proprio ius ense locat, ius omne lacertis.
Protinus hi portas castrorum admittier intrà
Ad Gofredum orant. solio tum forte residens
Gramineo summum belli Gofredus habebat
Concilium, proceres inter, nec veste micabat
Purpurea. sed vera suum, licet obsita pannis,
Ipsa sibi decus est ingens, ac purpura Virtus.
Tenuia signa olli diuûm contemptor honoris
Argantes, magnumque in se ducis edidit instar.
At vero ad pectus dextram sibi duxit Alethes,
Inflexitque caput, demisit lumina terræ:
Et patrio de more virum veneratus abundè
Incepit fari: ipsiusque ex ore loquentis
Dulcius Hyblæo manabant nectare verba,
Et Syrio diffusa sono, quem quisque tenebat
Iesides. O digne, vni cui se ista corona
Ingentum fama heroum summittat, & armis:
Cuius in auspicijs palmas, Eoaque nouit
Regna: tui nostras etiam fama impulit aures
Nominis, Herculeas vltra iam cognita metas,
Ægyptique tuis compleuit laudibus oras.
Nec quisquam numero è tanto non hauserit illas

Admirans, extrema ſolent cen monſtra tuentes.
At meus ingenti tacitus dulcedine mixta
Narrantis rex ore legit, gaudetq; propinquis
Interdum memorans: atque in te diligit vno,
Vnde alijs timor, ac mentem premit inuida cura,
Virtutem, tecumque volens decreuit amore
Coniungi: ſi lege nequit. hoc te actus amore
Poſcit amicitiam, & gratæ pia fœdera pacis.
At virtus amborum eſto, quæ mutua veſtras
Contrahat, & nodo mentes ſimul obliget arcto.
Verum te quoniam charum ſibi pellere regem
Accingi claræ ſolio præſenſit Idumes:
Nos tibi, dum prima belli res mole quieſcunt,
Hæc modo ferre iubet, ſenſusque aperire latentes
Conſilij, mentiſque ſuæ. Si quod tibi partum
Hactenus eſt Aſiæ: hoc animos explere tuorum,
Atque tuos valeas, nec amica laceſſere bello
Sceptra Palæstini regis, quaſque occulit oras
Nominis vmbra ſui: tua ſe male firma viciſſim
Regna locaturum ſtabili ſub ſede recepit.
Hoc ſi autem fiat, ſi vnquam vis vestra colbit:
Ecquando melior Perſas, Arabaſue reuiſet
Felici fortuna gradu? magna, inclyte, magna
Egiſti ſpatio in paruo, quæ longa nequibit
Annorum ſeries, & ſera abolere vetuſtas.
Florentes tibi ferro acies, vrbeſque fuerunt
Diſperſæ, afflictæque ſolo. tibi nulla laborum,
Nulla ignotarum facies non victa viarum.

Vnde tuum ad nomen longinqua per oppida gentes
Attonitis horrent animis, populique tremiſcunt.
Vndique vicini: & quamuis noua quærere poſſis
Regna tibi, incaſſum magnis noua gloria factis
Quæretur, ſummumq; volans modo pulſat Olympum.
Quo magis eſt æquum dubij te munera belli
Abſterrere animo. namque his ſi victor abibis,
Imperium paries ſolum, nec gloria maior
Hinc redit: at verò fueris ſi victus, vtrumque
Amittis. Fortunæ audax eſt luſus, & amens
Ambiguo certum, magnumque opponere paruo.
Sed tibi fors eius, multos cui parta ſub annos
Tutari curæ eſt, potior ſententia noſtrâ
Viſa, ac perpetuo plaudens victoria curſu:
Quæque animis hominum dominandi innata cupido
Acrius in magnis feruiſcit mentibus ardens,
Pacem horrere magis, reliqui quam bella virorum,
Efficient, fatoque patentem inſiſtere callem:
Et numquam hunc lateri ſuadebunt ponere, ſemper
Victorem, famaque enſem ſuper vtraque mundi
Littora iam notum: donec Maumettia ſeram
Relligioque, Aſiæque trahant ſola verſa ruinam.
Dulcia verba quidem, iucunduſque auribus error:
Quem tamen extremi comitantur ſæpe labores.
At ni magnanimo exuperans violentia corde
Obducit ſpiſſa mentis caligine lumen:
Ipſe licet videas per te, quòd vbi exeo malis
Bella ſequi, & Martis tituos audire ſonantes

Sperandi non vlla tibi, sed causa timendi
Est potius. Siquidem varios alterna sub istum
Fortuna euentus mittit mortalibus orbem.
Præcipitesque solo lapsus instare repente
Euectis super astra solent. dic optime auctor,
Die mihi, si populo pollens Ægyptus, & auro,
Consiliisque vigens, ferro in tua damna feratur:
Atque vna sparsas reuocent in bella phalanges
Turcique Persæque & Cassani filius alti.
Quas vires tantis oppones fluctibus? aut quas
Inuenies tali tutas discrimine sedes?
At regi Danaûm fidis, qui fœdere tecum
Coniunctus sacro est. Verum ô cui Graia virorum
Vruentum non nota fides? tu crimine ab vno,
Vno autem? tu criminibus de millibus, inquam,
Omne aliud discas: vobis nam perfida mille
Insidias, aurique fame gens ægra tetendit.
Ergo qui vobis Asiæ prendentibus oram
Obstitit, & canctis Naturæ lege patentes
Obstruxit cum fraude vias: nunc ille cruoris
Largus erit proprij, & vitalis prodigus auræ?
At tibi forte animos isthæc, quibus vndique cinctus
Munitusque sedes, ingentes agmina tollunt.
Et quos diuersa distractos parte locorum
Vicisti, superare etiam te posse coactos
Vno rere loco: quamuis per bella, per æstus
Frigoraque attritas acies tibi conspicis esse:
Et nouus accedet numerosis viribus hostis.

Verum

Verum vbi ſic volui fatis & numine cenſes
Diuorum, ferro vt nequeas ſuperarier: eſto
Vt tibi finxiſti, ſic magnus creuerit æther.
At vincêre fame. tali quæ mœnia monſtro
Obijcies? quos aëria ſub rupe receſſus?
Stringe manu gladium contra hoc, haſtamque lacerto
Intorque valido vibrans, turpique iacere
Stratum finge ſolo, & victrices indue pompas.
Omnia iam prouidi multo manus ante coloni
Exuſſit facibus fœdè, preſſitque ruinâ.
Mœnibus & cluſis, aut altis turribus omnes
Condidit agrorum fructus. tibi paſcere tantas
Spes vnde eſt turmaſque equitum, peditumque cateruas?
Audaci hûc animo, Diuiſque aduecte benignis.
Claſſis at id toto, dices, mihi proſpicit errans
Aequore. De ventis igitur tua pendet, & vndis
Apta ſalus? tua ne ventis fortuna vocatis
Imperat, & modo dat laxas, modo ſtringit habenas?
Teque vnum precibus cunctorum, ac quaſſibus æquor
Surdum audit? fluctuſque refert in vota ſecundos?
At non & Perſæ populi, & Nilotica tellus,
Atque Arabes vno deuincti fœdere claſſem
Cogere tam validam poterunt, vt nauibus auſit
Æqua obſtare tuis, totoque occurrere ponto?
Duplex cuncta tibi verſanti, animiſque mouenti
Eſt opus ad laudem tanti victoria belli.
Vna autem iactura poteſt tibi dedecus ingens
Afferre, & damno vires mutare ſuperbas.

Namque

Namque vbi noſtra tuam victrici Marte per vndas
Diſſipet Ionij claſſem æquoris: hîc tua tabent
Agmina deinde fame: fruſtraque ea vincet aperto,
Te pereunte, mari, & ſalſis dominabitur aruis.
Iam ſi nec pacis manſuræ pacta, nec vllum
Tempus amicitiæ Phario cum rege requiras:
(Des libertatem veri) virtutibus aufert
Conſilium hoc ſe longe tuis. at numina faxint
Sancta Deûm, mentem vt talis ſententia linquat:
Oblectéſque ipſam rerum mercede tuarum:
Atque Aſiæ longo ſoluat ſe patria luctu.
Nec vos huic tali caſus, omniſque laboris
Conſortes, laudumque viro, fortuna ſecunda
In fraudem laciat noua bella laceſſere ſuadens.
Sed qualis pelagi deceptus fraude magiſter
Condidit optati naues intrà oſtia portus:
Vela decet ſæuis tandem legere acta procellis,
Nec blando parere mari. ſic fatus Alethes.
Et poſtrema leui clauſerunt murmure dicta
Heſperij heroes: quantumque ea cuique moleſta
Conditio fuerit, vultu patefecit acerbo.
At pius huc illuc acies circumtulit heros:
Flagrantes oculorum acies, frontéſque ſuorum
Vidit, & hæc placido mox illi reddidit ore.
Omnia tu ſuaues fundens legate loquelas
Narraſti, & pacem medius ſitus inter, & arma.
Si me veſter amat rex, & mea laudibus effert
Facta libens: equidem tali feror altus honore.

At vero, quâ totius Maumette minaris
Fidentis populi bellum: cape verba viciſsim
Libera more meo, & nullo circumlita fuco.
Nos adeo multos terra, pelagoque labores
Hactenus & luce exhauſtos, atque aëre cæco
Pertulimus: ſolum vt validis inſeſſa Tyrannis
Illa Dei pateat nobis ad mœnia callis,
Immani releuanda iugo. nil regna, nec aurum,
Nec vitam tali profundere fine pigebit:
Vt meritis cœli pariatur gratia noſtris.
Namque haud nos olim tanta hæc ad munera turpis
Egit auarities, & honorum vaſta cupido.
Auferat hanc ſuperûm genitor de pectore peſtem
Tam diram (noſtrum ſi pectore ſerpit in vllo)
Nec ſinat aſperſum dulci torpere veneno,
Quod necet, & mentis placidum ſubrepat in aulam.
At ſua quæ ſaxo penitus præcincta rigenti
Corda manus penetrat, tactu mollire ſuaui
Noſtra etiam ſolet. Hæc patrijs nos duxit ab oris
Impellens, vetuitque vlli ſuccumbere caſu.
Hæc arere facit fluuios, & ſidere montes
Aërios: hyemique gelu cum nubibus aufert,
Ardorem æſtati: hæc pelagi ſuper aſtra ſonantes
Deijcit irati fluctus, atriſque cauernis
Continet, & cœlo ventos emittit aperto.
Hæc altos aperit muros, æraque cædens
Agmina ſpargit humi. hinc noſtræ fiducia menti
Naſcitur, & trepidos audax vigor influit artus.

Non

Non ſibi, non noſtræ poſſunt promittere tantum
Heu fragiles bello vires, non Gallica tela,
Non Grayj, nec cæruleo cita marmore claſsis.
Illa modo auxilium nobis, animoſque miniſtret:
Nil ope mortali vacuos, nil arte relinqui
Curamus (nec fas) experti qualis in vmbra
Nos clypei texat, quo fulmine diſsipet hoſtes.
Verum vbi nos linquat (quoniam ſic noſtra repoſcant
Flagitia, aut arcana ſuæ placita inuia mentis)
Ecquis erit noſtrum, terra hac qui vitet humari?
Hac terra, quæ membra Dei pallentia quondam
Accepit gremio: aut viuis hunc luminis vſum
Inuideat? nec nos mortem patiemur inultam:
Nec noſtras Aſiæ fortunas perditus orbis
Riſerit, aut iactas cœli deflebimus auras.
Nec tu finge precor, nos pacem horrere magis, quam
Mortiferum reliqui bellum: nam regis auemus
Fœdus amicitiamque tui, atque id poſcimus omnes
Ore pio ſed num illius ſit ſubdita ſceptris
Hæc tellus, ſcis ipſe, nec eſt latebra vlla neganti.
Cur ergo hanc curat? nos extera quærere bello
Regna ſinat, placidaque ſuum regat ipſe quiete
Imperium. ſic ille refert: atque aſpera corda
Argantes telo rabies perfixit acuto.
Idque ferens præ ſe, labijſque tumentibus audax
Ante ducem ſtetit, & rabido ſic ore locutus.
Bellum habeat, qui pacem horret. pænuria nunquam
Rixarum fuit. & pacem tu horrere videris,

Postquam vel primis nostrûm non annuis orsis.
Inde suam limbo vestem sub crura fluentem
Arripiens curuum in gremium collegit, & ille
Leniter expanso rursum sic farier orsus,
Ardentes torquens obliquo lumine vultus.
O qui adeo varias spernis res, Hoc ego vobis
Bella sinu, pacemque gero. tu consule tecum,
Rumpe moram, & quoduis isto nunc delige circo.
Talia dicta feri, fœdique iniuria motus
Continuo proceres vno bellum ore vocare
Concordes egêre omnes, nihil ante moratos
Magnanimi responsa ducis. vestem ille reflexam
Excußit, trepidasque sinus laxauit in auras:
Vosque, ait, ad bellum cunctos crudele lacesso.
Hoc dicens, Iani est portas aperire gementes
Visus: & hinc illum scissa Discordia vitta
Pone sequi, cornuque vocans Furor arma cruento:
Atque oculis rubro suffusis lumine, & igni
Ardere Alecto, & diræ fax alta Megæræ.
Is qui olim contra cælestes arduus arces
Sustulit ingentem casso conamine molem,
Talis erat forsan. sic illum fronte superba
Cœlicolis vidit Babylon, astrisque minantem.
Ergo, suscipiens Ductor, regi ista referte
Vestro verba, inquit. Veniat, properetque per æquor
Per terram: bellum accipimus, quodcunque minatur.
Ni veniat, Nili ipse sui nos amne moretur.
Hæc effatus, eos dictis dimittere gratis

Incipit, & donis ambos ingentibus ornat.
Cælatam ferro galeam largitur Alethi,
Mygdoniæ prima victor quam cepit in vrbe.
Abſtulit Argantes enſem, quem vertice toto
Cnoſſius inſignem gemmis, auroque Lycaon
Extuderat, miræ artis opus, longeq; micantem
Materiam pretio ſuperans. quæ munera poſtquam
Attentis voluêre oculis: Næ tu ocius, inquit
Ductori Argantes, mediaque in luce videbis,
Quam tua dona mihi clarum vertantur in vſum.
Inde abitus veteri veniam de more petiuit:
Atque ſuo dixit comiti, Nos ibimus, ipſe
Ad Solymam verſus, noſtri tu regis ad aulam
Sole nouo: ſed roriferis ego noctis in vmbris.
Nam nec voce mea, conſignataue papyro
Eſſe queat, quo tendis, opus (quare omnia regi
Hæc ſolus reſponſa refer) nec longius iſto
Me iuuat ire loco, & belli procul eſſe tumultu.
Atq; ita qui nunc nuper erat legatus, in hoſtem
Euaſit dirum Heſperijs, nihil ille reuoluens
Quid poſcat ratio gentes confuſa per omnes,
Aut immaturo curans offendere curſu.
Imo etiam ſocij reſponſum eludit hiantis,
Impatienſque moræ muros contendit ad altos
Stellantis gradiens per amica ſilentia cœli.
Nox erat, & terras animalia feſſa per omnes
Strauerat alma quies, ventoque immota iacebant
Aequora, cum tacito labuntur ſydera motu:

Cum nemus omne ſilet, pecudes, mutæque natantes,
Quæque maris liquidi latebras, quæque hoſpita cycnis
Stagna colunt, pictæque domo frondente volucres
Mulcebant curas, atque alto corda ſopore.
At non Heſperius miles, nec Gallica pubes,
Magnanimuſque heros in ſomnos lumina ſoluunt,
Aut animos ſedant: illos tam magna cupido
Inceſſit, pelago vt croceos Aurora iugales
Exerat, atque Dei magnam ſe ducat in vrbem:
Aduentus quæ meta fuit, quæ meta laborum.
Et iam iamque vident, radius num ſe vllus ab Auſtro
Proferat, & fuſcum niuea riget aëra luce.

FINIS.

Verſus decimus nonus pag. 21. ſic legendus.

Effigiem rapuiſſe: ſed hoc procul auia fertur

In vlt. pag. lin. 11.

Auſtro lege *alto.*

BRITISH MUSEUM